

Wg. 40.



JO. WERLHOFII
JCTI
COMMENTATIO
DE
JUDICIO
ADMIRALITATIS
HAMBURGENSIS.

27



EDITIO NOVISSIMA.

3333 3333 3333 3333 33 (6) 3333 3333 3333 3333

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
MDCCL.



IO. WERTHOFF
ADMIRALTÄT
HAMBURG





L. S. P. D.

C. F. S. I. V. D.



inter antiquas gentes, quæ propter leges, quas condiderunt praeclaras, laudibus extolluntur, jure quodam suo Rhodii præcipuum locum sibi vindicabant.

Horum enim *περὶ τὰ ναυτικά* *ἐνομίαν θαυμαστὴν* vocat STRABO *geogr. XIV. p. 448.* & eorum navalem disciplinam laudat TULLIUS in *orat. pro L. Mamilia c. 18.* Quare etiam a FLORO *L. II. c. 7. nauticus populus καὶ ἔξοχὴν* adpellantur. Quid, ergo, mirum, e-

)(2

gre-

P R A E F A T I O.

gregiam eorum νομοθεσιαν & Romanis placuisse? Videantur CICERO *de diuinatione L. II. c. 32.* ISIDORVS *L. III. c. 17.* Et quid mirum illorum leges ab horum imperatoribus, maxime autem a Claudio & quibusdam huius successoribus receptas fuisse atque confirmatas? Conferantur LAZARVS BAYEIVS in *commentar. de re navali ad L. II. D. de captiv. & postlim. & IACOB. GOTHOFREDVS in diss. de dominio maris C. IX. & X.* Testatur sane hoc inscriptio tituli digestorum *de L. Rhodia de iactu.* Hinc ANTONIVS Eudaemoni respondebat terram suis, mare Rhodiorum legibus iudicari, *l. 9. D. de L. Rhodia de iactu.* Rhodios postea Romani imitabantur pluraque de navali re huiusque negotiis & juribus constituebant. Et inde, nisi me omnia fallunt, evenit, ut plures leges, quae ad nautica negotia spectant, non in THEODOSII solum, sed in IVSTINIANI quoque codicibus, quin immo in digestis passim inveniuntur. Βασιλικῶν etiam libros multa de eius modi negotiis continuisse, adparet ex supplementis a CAR. ANNIB. FABROTTO ex *synopsi βασιλικῶν* aliisque restitutis. Sed neque Rhodii nec Romani solum hac industria inclaruerunt, verum & aliae terrae aliaque urbes illius laudis perticipes se reddiderunt, inter

P R A E F A T I O.

ter quas Wisby celebris urbs in insula maris Bal-
 thici Gothlandia eminent. Hanc in nauticis le-
 gibus maximam sibi peperisse famam, referunt
 OLAVS MAGNVS in *hist. de gent. septentr. L.*
II. c. 24. & L. X. c. 16. & CONRING. *de orig. jur.*
Germ. c. 19. Duodecimo jam sæculo hoc jus
 conditum fuisse adparet ex præfatione, quam
 ex antiquo extulit codice decus illud Germaniæ
 LEIBNITIVS *script. rer. Brunsvic. T. III. p. 750.*
 Urbis Wisbyensis industria & ejus legum æqui-
 tas effecerunt, ut deinde non oceani solum ad-
 colæ illas constitutiones nauticas reciperent, vi-
 deatur GROTIUS in *flor. spars. ad jus Justin. p.*
117. sed & Germaniæ quædam civitates incita-
 rentur, ut ex illis legibus sua, quæ rem navalem
 ordinarent, jura describerent. De Lubeca hoc
 adfirmat IAC. GOTHOFREDVS *adl. diff. C. VIII.*
 de Daniæ, Succiæ, quin immo Hanseaticis, ut
 vocantur, civitatibus idem nec sine magna ve-
 rosimilitudine conjicit WERNERVS in *diff. de*
avaritia §. 9. de Batavis probat CORNELIVS
 VAN BYNKERSHOEK *ad L. VIII. D. de L. Rho-*
dia de jactu. Westcapellenses quoque leges ni-
 hil aliud quam excerpta Wisbyensium esse con-
 jicit *anonymus*, sive qui sub litteris in fine dedi-
 cationis A. L. D. latet, ANDREAS LANGE in *in-*

P R A E F A T I O.

troductio in notitiam legum nauticarum C. VII. ubi & C. V. in genere progressus juris Wisbyensis poterit videri. Wisbyensium famam strenuo & laudando ardore æmulabatur insula Oleronensis, hujus enim *περὶ τὰ ναυτικά ἐπιμέλεια* maxime laudatur. Wisbyensibus autem juribus hæc recentiora esse, contendit REINOLDS KÜRICKE in *præfat. comment. ad jus Hanseat.* & argumentis demonstrat jam *laudatus LANGE d. l. C. VI.* ubi simul probat hoc jus in Anglia observari. Neque sua defraudanda sunt laude Hanseaticarum, ut dicimus, civitatum jura maritima, quorum collectionem in conventibus Lubecæ habitis primum A. R. D. CIOIDLXXXI. factam & postea A. R. D. CIOIDCXIV. emendatam atque auctam esse probat IDEM C. VIII. in fine. Quem vero ad modum Hanseaticarum Urbium caput quasi erat Lubeca, ita quoque non est dubitandum, quin & huic civitati nauticæ leges curæ cordique fuerint. Quid ergo mirum, si, quod Romani olim ituitu Rhodiorum, hoc in Germania quædam urbes intuitu Lubecensium fecerint? Testatur hoc satis præter alios rerum & antiquitatum Teutonix peritissimus HERMANNVS CONRING in auro cariori opusculo *de origine juris Germanicæ*.

P R A E F A T I O.

ci c. 28. Actum jam agerem, si de Lubecen-
 sis juris origine atque progressu pluribus dice-
 rem, quippe cum huic operæ jam satisfecerit
laudatus LANGE d. l. C. VIII. Æmula Lubecæ
 fuit celebris Germaniæ civitas Hamburgum, urbs
 cui commerciorum flore atque splendore vix ul-
 la alia in Germania æqualis. Urbs quæ non bo-
 nis solum moribus longe abhinc floruit, sed suis
 quoque iisdemque præclaris legibus & statutis
 diu jam viguit & adhuc in dies florescit. Nihil
 dicam de hujus reipublicæ statutorum origine,
 hoc enim in labore alii egregiæ eruditionis viri
 breve ante temporis spatium fuerunt occupati.
 Inter illas autem Hamburgensium leges in præ-
 senti quamdam memoriam merentur, consti-
 tutiones de negotiis nauticis quæ in parte secun-
 da titulis XIII. usque ad XVIII. continentur. Ex-
 hibet Hamburgensium navales constitutiones
 GE. HEINR. GOETZE in *adpend. catech. naut.*
 sub titulo *Hamburgischer Articulz-Brief*. Passim
 & hasce leges adlegat V. C. IO. IVL. SVRLAND
 in opere eximie eruditionis, cui titulus: *Grund-
 Sätze des Europäischen See-Rechts*. Quod ta-
 men in specie Hamburgensium leges nauticas at-
 tinet, multa circa illas præclaro studio collegit
 Ictus & antecessor quondam in hac mularum
 sede



P R A E F A T I O.

fede celeberrimus, cujus fama & post mortem
florebat IO. WERLHOF in *diss. de jure admiralita-
tis Hamburgensis Helmstadii A. R. D. MDCC-
VIII.* publico eruditorum examini proposita.
Sed accidit huic opusculo id quod aliis hujus
generis libellis contingere solet. Diu jam ab
eruditis, sed frustra, fuit desideratum. Fauto-
ris cujusdam æstumatissimi & amici integerrimi
benivolentiæ debeo, quod hanc commentatio-
nem ea tamen lege traditam acceperim ut illam
iterum publici juris redderem. Justis hisce de-
sideriis deesse nolui, nec potui, adeoque hunc
libellum tecum, BENEVOLE LECTOR, ita,
ut accepi, communico. Nullo modo illum
TIBI commendo, me enim non fugit, vendibi-
li vino hedera non opus esse, & mihi persuadeo
hanc commentationem vel solo auctoris nomi-
ne TIBI fore commendabilem. Fruere itaque
hoc opusculo, meisque studiis fave. Scribe-
bam in academia Julia Carolina d. XVI. Cal.
Julii. A. R. D. c16cccl.



THESIS I.



VDICIVM ADMIRA-
LITATIS HAMBVR-
GENSIS nihil aliud est,
quam *Judicium nauticum*
civile, quo læsiones ex nego-
tiis maritimis provenientes
discutiuntur & corriguntur, sive controver-
sæ hinc subnatæ secundum jura navalia civi-
liter ventilantur ac deciduntur.

A

II.

II.

Dicta ADMIRALITAS, ADMIRAAL-
 SCHAT, Admiralschafft oder Anmiralschafft,
 ab *Admiralio*, sive *Amiralio* potius, id est,
 thalassiarcha, præfecto maris seu classis, vo-
 ce, vt FR. IVNIO in *notis ad Codinum*, im-
 probante quidem Gretzero, at probantibus
 viris aliis doctissimis, visum fuit, hybrida,
 ex Arabico *emir* sive *amira*, dominium ac
 Principem significante, & Græco *ἀλιος*, *ma-
 rinus*, vid. VOSS. *de vit. sermon. Lib. 2. cap. 2.*
 WATS. *ad Matth. Paris.* voce *Admiralius*,
 & præter REINOLD. KYRICKE ad tit. 7. IVR.
 MARIT. HANSEAT. *art. un. pag. 178.* a quo
 recte inter cætera SALMVTHI, Admirali-
 um vocem & dignitatem primum Gallicam fu-
 isse, ad PANCIROLL. *L. 2. tit. 1. pag. 19.* anno-
 tantis, error reprehenditur, diligentissimum
 DVFRESNIUM in *Glossar. med. & infim. Græ-
 cit.* voce *Ἀμειράλης*, *Ἀμειράλιος*, cæterisque
 affinibus, & in *Glossar. med. & infim. Latinit.*
 cum in vocibus itidem cæteris affinibus, tum
 præsertim voce *Amiralius*, ubi EDWARDI
 COKI e Saxonico derivationem reiiicit, a Sa-
 racenis ad Christianos vocem traductam do-
 cet



cet, primosque Siculos, hinc Genuenses sum-
mis Classium suarum Præfectis eam appella-
tionem tribuisse videri, annotat.

III.

Petitis eandem e Latio vocibus GRO-
TIVS *Lib. 2. de Jur. bell. & pac. cap. 12. §. 4.*
SOCIETATEM BELLICAM, & *§. 25. ejusd.*
cap. SOCIETATEM NAVALEM ADVERSVS
PIRATAS, pariterque LOCCEN. Lib. 2. de
Jur. Maritim. cap. 2. §. I. SOCIETATEM NA-
VALEM BELLICAM dixit, ad societatis na-
valis pacatæ, vel negotiatoriæ, quæ vulgo
Mascopen, Compagnie, plures negotiatores
inter de negotiatione quadam maritima con-
trahitur, liquido apparens discrimen. Conf.
STYPMANN. de Jur. Marit. L. 4. cap. II. ubi
de certæ isthac in mari negotiationis com-
munionis a n. 12. usque ad n. 48. de bellica il-
la, quam ipsarum navium vocat, specie so-
cietatis altera a n. 48. usque ad finem differit,
& de adornata præcipue propter negotiatio-
nem societate specialiter agentem eundem
LOCCENIVM Lib. 3. §. 7. Græcis bellica na-
valis societas vocata σύμπλοια vel ἐμπλοια,
A 2 quod

quod conjunctim una classe navigetur; u-
 lumque ejus antiquum & scopum, ut naves
 adversus hostes, piratas, aliosque infautores
 securæ essent, ostendunt **LOCCENIUS** §. 2.
dict. cap. 2. lib. 2. & **GVLIELM. van der MVE-**
ELEN *ad Grot. Lib. 2. cap. 12. §. 12.* ubi inter cæ-
 tera ex *Victorio in Ciceron. epist. I. ad Attic.*
 de phrasi nautica, *conservam facere.* Paucis
 & nervose **GROTIUS** d. I. §. 25. *In societate*
navali adversus piratas utilitas communis est
ipsa defensio, interdum & præda, bene ead-
dem ita Gallice reddente **CURTINO**, non tam
 malo, quam, nimius **Pufendorffii** præ **Gro-**
tio æstimator, **BARBEIRACVS**, judicat, in-
 comparabilis operis illius interprete: *Dans*
une Compagnie des navires contre des pirates
l'avantage commun ne consiste proprement que
dans la defense, quelquefois aussi l'on y consi-
dere le butin. De divisione vero Admirali-
 tatis in *publicam*, auctoritate publica ordina-
 tam, & *privatam*, ad quam cum primis apud
GROTIUM *Lib. 2. cap. 12. §. 4.* adducta respi-
 cere videntur, & *art. un. tit. 7. Ordinat. Han-*
seat. eidemque parallelus artic. 41. tit. 14.
part. 2. STATVT. HAMBURG. cum artic. seq.
 42.



42. pertinent, legere licet paulo ante laudatum REINOLD. KVRIKE ad dict. *artic. un. tit. 7.* ORDIN. HANSEAT. Conf. in CONSVLATV MARIS cap. 283. *di conserva*, quam rubricam Westervenius pag. 479. Belgice reddidit, *van Admiralschap*, additis his ad verbum illud, *conserva*, ex *Alexandri Tassoni ad vocabularium della Crusca* notis: *dicesi per compagnia, del numero de' navilii di più padroni, che navigano insieme, a conservazion l' uno dell' altro.* *Concilium Hannibalis Seftedii, das Naval-Defension-Werck in Norwegen betreffend*, an. 1646. Regi Daniae suppeditatum, annoque ab eodem sequenti approbatum habes in MARQVARDI *Document. Commercial. sub Lit. m. 2. pag. 657. & seq.*

IV.

Postquam integra alicubi Collegia tractandis maritimis rebus ordinata, etiam forum ac tribunal quoddam peculiare res navales, earumque justitia ac disciplina accipere, & in eadem Tribunalia quoque Admiralitatis appellatio transfusa fuit. *Speciatim de Regno Suediae LOCCENIVS Lib. 2.*

A 3

cap.

cap. 2. §. 4. De Daniæ Regno conf. in *Document. Commercial.* ap. MARQUARD. sub *Lit. w.* pag. 653. & *seqq.* Königl. Verordnung an. 1659. wie es bey währendem Kriege mit den Certificationen auf Schiff und Gut zu halten, verb. princip. Unsere Admiralität, junct. verb. *Admiralitäts-Berichte*, & §. 4. verb. *Unser Admiralitäts-Rath und Bediente*, item *Extract* der Königl. Dännemärckischen *Declaration* an. 1659. verb. ein Urtheil, welche die Admiralität rechtmäßig und endlichen absprechen soll. Neque solos intra rerum ad navales societates pertinentium limites jurisdictionis hujuscemodi judiciorum stetit, sed ad cætera quoque navica & maritima istam porrigi & protendi, propria quædam tam negotiorum, quam jurium eo pertinentium indoles & utilitatis publicæ ratio suasere, etiam *Hamburgensi* nostro *Admiralitäts-judicio ortum* juxta & *incrementum* suppeditantes.

V.

Laudabilis sane maiorum nostrorum cura & in promovendis commerciis industria singularis enituit, & *quæ causa* eos ad
 Judi-

Judicium illud instituendum permoverit, ipsum *prooemium* der Admiralschafft Ordnung aperte indicat verb. Nachdem leider täglich die Erfahrung bezeuget, daß nicht allein durch Türckische, sondern auch andere streiffende See-Räuber allgemeinen *Commerciis* und *Trafiquen* grosser und merklicher Eintrag und Schaden geschicht, und demnach wol von nöthen, daß in dieser guten Stadt eine beständige Admiralschafft angeordnet werde, junct. item §. 2. damit auch wegen der *Execution* keine fernere *difficultät* sich eräugen mögen. *Primus* ergo, *præcipuusque finis*, ut *commerciis* constaret *securitas* ac *defensio* adversus *piratas* quoslibet haberetur. Sed *ad plura* multo, *cæteraque navalia universe* utilitatem tam salubriter constituti *Judicii* se diffundere posse, ad *propositionem* HENR. Harßwig, J. U. L. & Senatoris, nomine derer Herrn und Bürger von der *Admiralität*, *Senatum* X. Augusti an. 1623. rogantis, ob nicht auch alle Sachen die *Segellation* in gemein betreffend, in gemein vor die *Admiralität* sollten gehören, und von derselben erörtert werden? *facile animadvertium*; als worauf dann E. E. Hochw. Raht

Macht sich beständig *resolvirt*, daß die Verordnete der *Admiralität* solten Macht haben, in allen solchen Fällen der *Segellation* zu erkennen, zu schliessen und zu *exequiren*, sicut ex artic. 17. dict. *ordin. Admiral. Hamburg.* apparet.

VI.

Atque ipsa isthæc, quæ, *Judicii nostri* ortum, scopumque indicantes, commemoravimus, etiam ad *formam* ejus, & *ab aliis judiciis discrimen*, jam ex definitione antea haud obscure apparens, plenius, clariusque intelligenda nos deducunt. *Proprium hoc Admiralitatis Judicium* controversiis navigationis occasione subortis, solarumque idem civilium ex maritimis negotiis læsionum correctioni destinatum; criminales quippe ad *judicium criminale ordinarium* remittuntur. conf. *STATVTO. HAMBURG. part. I. tit. 12. art. I.* *Proprii eidem, aptique genio* ejus *Judices*; propria quodammodo *jurium*, propria procedendi ratio, & ad *specialem illius scopum* omnia propius adornata & adaptata.

VII.

VII.

Judices numero XII. sunt, egregia & salubri admodum ex Senatu & civibus, ex Jctis & commerciorum, nauticaeque rei peritis temperatura. I. *Præses*, quo auctoritas Judicio juxta constet (conf. *Admiralschafft-Ordnung*, §. 2. verb. im Nahmen E. E. Rathschliessen) ex magnifico semper Consulatum ordine, vel secundus horum, vel tertius, etner von denen mittelsten Herrn Bürgermeistern, per annum quilibet, alternatim. II. Ex *Senatorio ordine* tres, vnus Jctus, qui hodie cum alio Jcto Senatore quotannis alternat, (initio duos simul fuisse, subscriptio der *Admiralschafft-Ordnung* ostendit) & mercatores duo, qui semper a Præsidente atque Senatorii hujus ordinis Judicibus solis, non a reliquis etiam Assessoribus, eliguntur (conf. *Admiralschafft-Ordnung*, §. 2. verb. wil E. E. Raht ihres Mittels Personen verordnen,) & ad dies vitæ muneri huic præfunt, nisi in Consularis dignitatis gradum promoveantur. III. Sex mercatores (conf. *Admiralschafft-Ordnung*, verb. neben 8. Bürgern, benandtlich 6. Kaufleuten) ex iis maxime, qui

B in

in Italia & Hispania negotiantur, (conf. Admiralschaft-Ordnung, §. 5. verb. von hierab Westwärts, und von dannen wieder hiehero) iisque in locis commerciorum genium probe cognitum, exploratumque habent, quia pleræque ac potissima læsiones in longinquis, periculosisque, eas regiones versus, navigationibus contingere & inferri solent; quamvis aliquando etiam, qui commercia ibi prorsus nulla, sed in aliis ea oris, regionibusque exercent, cooptantur. Ordinarium autem in illis hodie, ut per sexennium quisque hanc spartam ornet, & quotannis unus eorum munus deponat, duos pro se alios nominans, quorum alter universi Admiralitatis Collegii suffragiis eligi consuevit, die Petri Cathedræ sacro, Petri Stuhl-Feier. IV. Duo ex nautarum Collegii Senioribus, zwey Schiffer-Alten, (add. Admiralschaft-Ordnung, §. 2. verb. und 2. aus den Alten der Schiffer-Gesellschaft,) ratione optima, quoniam varix variorum, ad quæ navigavere, locorum consuetudines his cum primis compertæ, multoque ac diuturno nauticæ rei usu exerciti & subacti, unde tam
nava-

navalium sociorum officiis probe intelligendis lumen, quam universum juris nautici applicatio expeditior. Et hi quoque ab universo Collegio cooptantur, eoque itidem Petri Cathedra festo die, nisi extra ordinem eligantur; id quod fieri, cum necessitas postulat, prima quavis occasione ac tempore opportuno potest. Persistunt in hoc munere per biennium, imo vel triennium aut quadriennium, quia tanta eorum, qui subrogentur, copia non est, ut quotannis commode mutari queant, praesertim cum proxenetæ, navium licet ipsi etiam antea magistri & in Collegium Seniorum, *der Schiffer-Alten*, recepti fuerint, ad hoc tamen Collegium non admittantur.

VIII.

Ex Secretariis Reip. nostræ primus ordine, vulgo Protonotarius dici solitus, adhibetur, hodie qui medii ordinis est, *der mittelste Herr Secretarius*, coram quo, ut ceteras officii ejus partes transeam, litigantes de perjurio vitando rite admoniti juramenta praestant, probationibus sibi injunctis defunguntur, testesque jurato examinantur, in



conclavi seu camera, ut vulgo loquimur, ei adfita, ubi Consules ante audientias convenire consueverunt, vulgo die Schreiberen. *Advocati* IV, *Procuratores* VIII, iique omnes ordinarii judiciales sunt, quamvis olim & extraordinarii, *Diehlen-Läuffer*, non sine detrimento iudicii admissi. Hodie præter ordinarios judiciales illos, quos secundum ea, quæ in hoc iudicio ordinata, ut cum primis nach dem gemeinen Bescheide an. 1656. &, quo idem confirmatum fuit, Decretum an. 1663. se, suaque gerere oportet, nemini alterius causam aut negotia hic agere concessum. Denique loco ultimo Apparitorem seu *Nuntium*, qui & ei, quod vectigalium curam gerit, Collegio plerumquæ inserviens, *der Zoll-Knecht* exinde appellatur, in hoc iudicio autem ad quemlibet concessum partes aut Procuratores citare & ad iuramenta præstanda, testibusque jurato examinandis, citationes insinuare debet, ac *Pedellum*, inter personas iudicii minus principales hic referre licet.

IX.

Inter propria Admiralitati nostræ Jura
 ORDINATIO An. 1623. E. E. Rahts der Stadt
 Hamburg Admiralschaffts-Ordnung, jam
 tum sæpius a nobis allegatæ eminet, exhibi-
 ta a MARQUARDO in *Document. commer-
 cal. five part. poster. tract. de Jur. Mercator.*
 sub lit. Q. pag. 589. Accessere post ordinatum
 Admiralitatis collegium ab eodem *decreta*,
 in quibus memorabile, cujus paulo antea
 meminimus, *Decretum* 31. Jul. 1656. latum
 & 30. Jul. 1663. confirmatum, Consultissi-
 mus DN. SCHELE, Fautor & amicus noster
 plurimum honorandus, *Dissertationi* suæ in-
 augurali de *Polizza* an. 1707. sub præsidio
 DN. PRAESIDIS habita inseruit; regulam-
 que huc pertinentibus controversiis specia-
 lem etiam *mercatores inter* Hamburgi vel
recepta moribus, vel *conventa* expresse, ut,
 quam passim itidem in eadem *Dissertatione*
 excerptam leges, de *Assècuratione conventio*,
 suppeditant, conf. *Marquard.* de Jurisdictione,
 statutis, ordinationibus, & consuetu-
 dinibus mercatorum *L. 3. de Jure Mercat.*
cap. 2. Repetit porro *Ordinatio Admiralita-*
 tis,

tis, §. 1. firmiterque observari voluit, quæ
 in STATVTIS antea HAMBVRGENSIBVS
part. 2. tit. 14. art. 41. & seq. von Admiral-
 schafften und andern See-Rechten constituta,
 conf. *ead. §. 15.* da auch jemand; & inprimis
ex parte STATVTOR. NOSTROR. II. huc
 porro pertinent *tit. 13.* von Schiffs-Rehdern
 oder Freunden, *tit. jam adductus 14.* integer
 von den Schiffern und Schiffs-Bolcke, in
 quo artic. tamen 35. per Recell. an. 1618. mu-
 tatus, *tit. 15.* von den See-Frachten, *tit. 16.*
 von Werffung und geworffnem Gute, *tit. 17.*
 von Schiff-Bruch und Schiffbrüchigen Gü-
 tern, *tit. 18.* von Boddemeren, in quo iti-
 dem Rec. an. 1618. art. 2. mutatus fuit, &
tit. 19. vom See-Raube. De civitatum Han-
 seaticarum ordinatione nautica, & jure ma-
 ritimo a Dn. PRAESIDE in proem. Jur. quo
 in for. utim. enucl. cap. 2. §. 5. in not. sub
 lit. g. pag. 147. allata non itero, quæ ordi-
 natio, der Hansee-Städte Schiffs-Ord-
 nung und See-Recht, Hamburgi juxta, at-
 que cæterarum Hansici fœderis Civitatum,
 lus navale est.

X.

Ex communi Iure ad rem nauticam pertinentes Digestorum & Codicis titulos, in quibus de exercitoria actione, & ad Legem Rhodiam de jactu in Pandectis præcipui, peculiaribus commentariis illustravit PECKIVS, notas cum ampla dote variarum circa rem nauticam observationum addente VINNIO, qui & *Juris Navalis Rhodiorum* ex undecimo quodam Digestorum libro excerptum, quod in fine tom. 2. IVR. GRAECO-ROMAN. *Leunclavio-Freheriani* cum aliis nonnullis nautici, Rhodiique Iuris eclogis post aliorum editiones accuratiori cura prodierat, Græce ex Codice in membrana scripto, sibi per Wilhelmum Gæsium ex Bibliotheca Nicol. Heinsii communicato, cum Latina Leunclavii interpretatione leviter interpolata, edidit. De quo obiter isthæc addere ab instituto haud alienum puto: genuini equidem aut perfecti aliquid collectiones illas nautici, Rhodiique juris non continere, sed eclogas tantum partim & excerpta quædam esse, partim varie pro temporibus jura nautica immutata, & Græcorum quoque in iis Cæsarium



rum & Christianæ Nomothesiæ vestigia de-
prehendi; haberi tamen in iisdem *multa e-
gregia & scitu transmarina negotia tractan-
tibus utilissima*, ceu de jure suo Rhodiorum
navali *Vinnius* prædicat, & frugiferæ pro-
pterea, nobilisque operæ pretium futurum,
si quis, de quo nuper admodum aliquid spei
sibi a præclaræ doctrinæ ICto quodam fa-
ctum, DN. PRAESES mihi retulit, amplio-
rem hic illi, quam hucusque præstitum, e-
rudita industria sua lucem allaturus, & præ-
sertim ex aliarum quoque variarum Genti-
um atque noviorum seculorum nauticis le-
gibus ac moribus id illustraturus sit. De Han-
seatici quidem juris maritimi articulis REI-
NOLDVS KVRICKE *ad Inscript. pag. 77.* an-
notat, partim eos ex antiquis Rhodiis, aliis-
que juris civilis Legibus, partim ex Statutis
quibusdam nauticis Wisbyensibus, nec non
Regum ac Principum variorum ordinationi-
bus, partim etiam ex specialibus cujusque
civitatis Hanseaticæ Plebiscitis, ut loquitur,
desumptos esse. Et in subsidium quoque ac
supplementum, vt in re maritima alibi, sic
Hamburgi etiam ex nobilioribus & egregie
con-

constitutis juribus atque ordinationibus aliarum civitatum aliqua, usui suo maxime opportuna, adhibent; in quo genere ipsum illud, laudatum a KVRICKIO, *Jus Wisbyense* merito censendum est, quod pro jure gentium apud omnes populos Transrhenanos, ut apud Galliam leges Oleronis, vigere GROTIUS in *Flor. Sparsion. ad Jus Justinian.* pag. 117. in Rebuspubl. Hanseaticis & Regnis Borealicis communi usu receptum & quasi iure civitatis donatum, eximius quondam Ictus Juliae, GEORG. WERNERVS §. 9. *Disput. de Avaricia* tradunt, add. CONRING. *de Orig. Jur. Germ. cap. 19.* pag. 107. Habetur id, LXXII. constans articulis in *Docum. Commerc.* MARQVARD. pag. 674. & primo loco in libro *der See-Rechten*; ex quo porro hic memoranda, *Caroli V. Placat auf das Stück von See-Rechten*, und *Philippi II. Ordonnances von Zurüstung der Schiffe*, von *See-Rechten*, und von *Affecuranzen*, quæ mendose admodum in libri rubrica, iterato etiam in nova editione mendo, *Philippi III.*
C nomen



nomen præ se ferunt, anno demum 1598. Regno admoti, & an. 1663. quo ordinationes illæ promulgatæ, imo etiam anno 1577. quo das *Placat von See-Griffen* publicatum, ne nati quidem, sed anno demum 1578. in lucem editi. Magna quoque auctoritate in decidendis controversiis pollere statuta nautica Suedorum & jura ac consuetudines Batavorum bene d. l. ab eodem WERNERO monitum, & *Jus quidem Suedici Regni maritimum* Latine transtulit LOCCENIUS. Inter Batavica Jura haud immerito speciatim hic nominaveris der *Stadt Amsterdam Affecurantz- und Waren-Cammer-Ordnung*, anno 1603. & Affecurationis quidem ordinationem illam, juxta cum aliis ad commercia & rem navalem facientibus documentis bene multis, in *part. poster. de Jure Mercat.* exhibet etiam MARQVARDVS.

XI.

Cæterum quod de Wisbyensi Jure perquam belle scribit OLAVS MAGNVS Lib. 2.
Bre-

Breviar. Histor. Gent. Septentrional. cap. 22.
 in f. *Jus hoc mercatorum ac nautarum valde
 prudenter digestum citius lites adimere pro
 fluidis aquis, quam aliorum decisiones pro
 terra firma, ut universe Jurium nautico-
 rum indolem, qualis bene ordinatorum eo-
 rundem esse debet, quodammodo repræsen-
 tat, ita etiam Admiralitatis nostræ Juribus
 ac judiciario ejus ordini haud male aptaveris.
 Fere ex æquo & bono, quamque fieri potest,
 celerrime ac promptissime, decidi controver-
 siæ mercatorum ac navales amant; indeque
 etiam in Admiralitatis judicio iste (utinam
 modo à saluberrima illa, quam cum primis
Decretum anni 1656. commonstrat, non
 tam crebro, nimiumque hodiernus usus de-
 flecteret!) procedendi modus obtinet, vel
 obtinere debet. Proponit actor gravamina
 sua breviter ac summarie, tum perspicue iti-
 dem, sine omnibus & ambagibus & invo-
 lucris, statimque instrumenta simul produ-
 cit, quæ ad probandam intentionem sunt
 necessaria & sufficiunt, vel ipse, vel per pro-*



curatorem; idque viva olim voce factum, nunc in scriptis fit, haud adeo male quidem, id si solum esset, sed comite perfrequenti hac corruptela, quod in eis prolixitas multa regnet, & supervacuo allegationum cumulo onerentur. Profert reus, citra dilationem, in proximo Judicum confessu (olim in eadem audientia fiebat) exceptiones suas peremptorias (dilatoriæ enim non admittuntur) simul itidem cum necessariis documentis, & sine dilatione iterum; sessionibus Judicialibus proximis replicando & duplicando partes hinc inde pergunt, & in causa concludunt. Quæ ut planius, clariusque intelligantur, non absque mihi facere videor, si, quo olim modo in Judicio hoc nostro egerint, quamque breviter & levato quasi velo processerint, sicut aliquando etiam hodie adhuc proceditur, addito, quod subjicitur, exemplo hoc ex protocollo an. 1656. quod extractum est, commonstrem.



XII.

EXTRACTVM

PROTOCOLLI
ADMIRALITATIS

In Sachen

DANIEL DORVILL

CONTRA

Friederich Reddelling, Moriz Köhne

und

Gerdt Mohrmann,

1656. Jovis die 14. Augusti.

Cornelis (Klägers Anwalt) Es *compari-*
ren *Rei* nicht, die Sache beruhe auf einen
Bodmeren-Brieff, *petebat comparitionem ad*
proximam sub pœna contumaciæ.

Bescheid.

Daß Beklagter zum nechsten erscheinen,
oder in *contumaciam* ergehen soll, was recht
ist, und soll Kläger Beklagten diesen Bescheid
insinuiren zu lassen, schuldig seyn.

C 3

Jovis

Jovis die 21. Augusti.

Cornelis producit jüngsten Bescheid, zeigt an, daß Schiffer Heinrich Sylm zu *Nantes*, laut *Boddemeren*-Brieff gehoben 1160. *Marck*, wie man nun allhier aus den *Bodmeren*-Brieffen die Zahlung nicht können erlangen, hat man das Schiff *arrestiret*, darauff der Schiffer von hier gangen, und *Beklagter* sich des Schiffes angenommen, *petit* Zahlung der 1160. *Mrk.* nebst *Unkosten* und *Interesse*.

Von der *Linde* (*Beklagten* *Anwalt*) ge-
stehet die *Bodmeren* nicht, seine *Principales*
haben sich jedoch bey Herr *Bürgermeister* *Jer-*
re dahin erkläret, damit der *Arrest* loß kä-
me, das wesentliche *Capital*, so der Schiffer
empfangen, wiewol es der Schiffer nur zur
Verschwendung gebrauchet, haben es auch
würcklich *deponirt*, und sich erbothen von sol-
chem Empfang das *Interesse* und *Asscurantz*
zu bezahlen, unangesehen sie es nicht schuldig,
weil der Schiffer davon gangen, und, wenn
ein Schiffer so *prompt* Geld bekommen kan,
er nur gestärcket wird in seiner *Verkehrtheit*;
Petit,

Petit, daß Kläger mit Capital, Interesse und risico der See sich müsse *contentiren* lassen.

Cornelis, dem Schiffer ist das Schiff anvertrauet, darauf seine Principales gesehen. Bittet nochmahlen, weil Beklagter ihn zum Schiffer gesezet, und er die Gelder gehoben, Capital, Interesse und Unkostung, *produciret* auch *Parere* unterschiedener Kauffleute, daß das Interesse nicht zu hoch.

Von der Lide priora, das *Parere* hat allhier keine statt

Urtheil.

Daß die *producirte* Bodmeren-Brieffe bey Würden, und selbigen zu folge Beklagte die daraus eingeklagte 1160. Mark Klägern zu bezahlen schuldig seyn sollen, und wird Beklagten wegen eingewandter *Exceptionen* ihre *Reconvention reserviret* und vorbehalten.

XIII.

Sed *de ipsis* porro, quæ in Admiralitatis *Judicio* *discutiendæ* *corrigen-dæ* *veniunt*, *læsionibus* *videamus*, quarum ingens numerus & insignis varietas occurrit. Atque I. quidem in iis sunt, quæ ad publicæ quoque rei
læs-

lacionem aut vere, aut quodammodo saltem, vel simul, referri possunt, etsi pro re nata quandoque criminalis harum non nullas poenæ ratio ad ordinarium, ut ex ante dictis apparet, criminale forum devolvit. Exempla adferre licet, (1) si quis navita, qui Hamburgensis Civis est, insigne rubrum, einen rothen Flügel oder Flagge, in quo ein Silberweisses drey-thürnigtes Casteel depictum, in navi non constituerit, multandus tribus marcis argenti (24. Rthlr.) in usus publicos persolvendis, nisi hostium illud aut piratarum metu ab eo depositum & cum alio commutatum, STATVT. HAMBVRG. *part. 2. tit. 14. §. 1.* aut si Hamburgensium hoc insigne extraneus usurpasse, coram Admiralitatis Iudicio, arguatur, STATVT. HAMBVRG. *cod. loc. quibus add. L. 1. COD. de navib. non excusand. Lib. XI. tit. 3.* (2) Si navalem societatem bellicam sive Admiralitatem navita deserat & exinde navis aliqua sociâ capiatur, de quo *part. 2. STATVT. HAMBVRG. tit. 14. art. 41.* ut damnum de suo farciat, arbitrariæ cæteroque poenæ obnoxius, sancitum. (3) Ubi cæteris ad defensionem paratis, nauclerus pugnare

gnare noluit, cui ne qua deinceps navis cre-
 datur amplius, *ejusd. tit. 14. art. 44.* infamiam insuper atque relegationem dictante,
 cautum, quocum de contrario casu, ubi a-
 liquis *der Schiff's-Rinder*, ut vocantur, nau-
 clero periclitanti succurrere noluisse, capta
 exinde navi, convincatur, *præcedens artic.*
 43. poenam illi, cognitione prævia, pro cir-
 cumstantiarum ratione, relegationis aut
 corporis constituens, & de obligatione des
Volcks, Admiralitate facta, *sich zu wehren*
bey Verlust ihrer Heure, *art. 42.* conferri &
 conjungi possunt; quo ipso *art. 42.* etiam
 de facienda iisdem damni, si quid ejus per-
 pessi sint, reparatione de communi, & si
 plane ad victum sibi deinceps comparandum
 inhabiles redditi, præbendo, exercitorum
 & mercatorum sumptibus, *vom Schiff und*
Guth, alimento, vel receptione etiam pro
 re nata *ins Schiffer-Armenhaus* dispositum.
 add. *Admiralschafft-Ordn. art. 15.* (4) Si ma-
 gister-navis citra necessitatem, navim par-
 temve ejus, ultra pretium, quod secundum
 peritorum naviculariorum æquum arbitri-
 um, posteaquam in destinatum portum per-
 vene-

D

vene-

venerit, navis eadem aut pars navis valuerint, Bodmeria illicite oneraverit, de quo *part. 2. STATVT. nostror. tit. 18. §. 4. & 5.* pro infami, quando redierit, habendum, nec in Civitate aut territorio Hamburgensi amplius tolerandum, fancientes, iis tamen, qui navalem illi pecuniam mutuati, restitutione *ihres Nachstandes* ex bonis ipsius salva. *conf. P. 2. tit. 14. art. 32.*

XIV.

II. Ad privatos Læsiones cæteræ & pleræque spectant. In quibus eæ (1) occurrunt, quæ mercatores inter acciderè solent; quales ex contractu periculi avertendi, vel, ut vulgo vocari solet, affecurationis frequentissime oriuntur, quam materiam, præter alios, Magnific. quondam DN. SCHAFFHAVSEN speciali tractatu *de Affecurationibus*, an. 1638. Hamburgi edito, ejusque exinde nepos C^{mus}, DN. D. MATTH. DIETER. SCHAFFHAVSEN, fautor & amicus meus plane singularis, in *Dissert. inaugurali de parallelismo Juris Hamburgensis cum legibus aliorum Populorum*, cap. 3. §. 5. & laudata quoque jam ante *Dissertatione de Polizza*

lizza DN. SCHELIVS tractavere. (2) Inter Mercatores & Magistrum navis, ejusve exercitores aliæ contingunt; quarum fontes contractus cum illis a Magistro navis initi, puta locatio navis, sive integræ ejus, sive partis, & emtio venditio, navis itidem, partisve, vel instrumentorum ejus aut armaturæ, alimentorum, merciumque sunt, de quibus plura addere institutum non fert. (3) Inter Excercitores & Magistrum navis controversiæ oriuntur, si is dominus partiarius est, ex societate, si conductor, ex Locatione conductione, si Mandatarius, ex Mandato. (4) Aliæ iterum creditorem inter, navale sub usuris mutuuum dantem, sive Mercator iste, sive alius sit, & Magistrum navis nascuntur, ex contractu fœnoris nautici, qui vulgo *Bodmeria*, Germ. *Bodmery*, vocari solet, de quo in STATVTIS nostris p. 2. tit. 18. agi jam supra diximus, & videri amplius, præter alios, possunt DN. D. SCHAFSHAVSEN laudatæ antea *Disputat. cap. 3. §. 1. & seqq.* & DN. L. RADEMIN in *Dissertat. inaugur. de Bodmeria*, Halæ Ao. 1697. præfide DN. BODINO habita. (5) Naucleri in-

XX



ter se disceptant propter damna, culpa, aut casu, navibus invicem illata, de quo STATVT. nostror. HAMBVRG. p. 2. tit. 17. art. 6. 7. & 8. Jus MARIT. HANSEAT. tit. 10. ibique KVRICKE pag. 220. & seqq. Ivs MARIT. PHILIP. II. part. II. tit. 4. art. 1. & novissime illustr. DN. STRYKIVS Dissert. de collisione navium, von An- und Uebersegelung der Schiffe. (6) Denique saepenumero naucleros inter & nautas, sociosque navales quaerimoniam & lites sunt, vid. Ivs MARIT. WISBYENSE art. 26. vel officia propter, tam à naucleris, vid. ORDIN. MARIT. CAROLI V. art. II. quam à nautis, fociisque navalibus, vid. Ivs MARIT. HANSEAT. tit. 3. art. 8. & 9. & tit. seq. 4. art. 3. & seqq. passim STATVT. HAMBVRG. part. 2. tit. 14. art. 16. 17. 22. 27. & aliis, non, ut oportebat, praestita, vel ob mercedem, vid. STATVT. HAMBVRG. part. 2. tit. 14. art. 18. 20. 21. 26. Ivs MARIT. HANSEAT. tit. 4. art. 20. & aliis. Ivs MARIT. WISBYENSE art. 15. ORD. CAROLI V. art. 12. caeteraque jura maritima.

XV.

De actionibus coram admiralitatis judicio instituendis nonnihil dicendum restat; de quibus facile constare poterit, si contractus, obligationesque, ex quibus profluunt, eorumque effectus qui sunt, probe cogniti habeantur. Ita *ex contractu Assècurationis*, quæ tum assecuratori, tum assecurato, actio detur, obligationis exinde promanantis vi §. 15. & 16. antea explicata, in sequentibus §. 17. & 18. *Sect. I. SCHELIANA DISSERTATIO de Polizza* exponit, cui SVENDENDÖRFFER. *de act. for. cap. 3. membr. 36. sect. 9.* & PLACC. *de action. act. person. 127.* addi & cum ea conferri poterunt. Actum *in eadem Disputatione* de dammi ab assecuratoribus ob susceptum pro præmio periculum præstandi distributione, seu catalogo, huic fini ex instrumentis tam assecurationis sive Polizzæ, quam cæteris, naufragium, jactum, damnum, pretiaque rerum perditarum probantibus, quæ distributoribus, *venen Dispatcheurs*, inlinuanda sunt, vid. *art. 33. ORD. CAMER. ASSECVR. & AVAR. AMSTEL. conficiendo, von der Dispatch, pag. 64. sub lit.*

cc. ubi etiam ex IVRE NOSTRO pertinens huc
art. 2. tit. 16. part. 2. allegatus, in quo ver-
 ba, der Güter Wehrt soll man rechnen, als
 das andere geldet in dem Marckte, ob gene-
 ralem fori mentionem, & quod speciatim
 ac lucide forum, quo vel emtæ sunt merces
 vel venditæ, non exprimunt, habere videntur
 aliquid subobscuri. Traditam autem a
 Vinnio distinctionem, quæ communi passim
 usu servetur, WEITSIVS de *Avaria quæst. 12.*
 prævit; qui in *quæst. 33.* quomodo ciltæ ja-
 ctæ, in qua res pretiosas, cimelia, marga-
 ritas, Kleinodien, Geschmeide, mercator
 fuisse asserat, æstimatio facienda sit, specia-
 tim exponit. De navis & armorum æstima-
 tione vid. IVS MARIT. PHILIP. II. *part. 3.*
tit. 1. art. 18. de optione mercatorum & ex-
 ercitorum circa naulum seu totius itineris ve-
 cturam, & pretium navis in contributionem
 conferenda, *tit. 3. art. 6.* & conf. qui magi-
 stri navis arbitrio, sed cum limitatione ali-
 qua, optionem eam relinquit, WEITS. de
avar. quæst. 24. Secundum IVS MARIT.
 PHILIP. II. *dict. art. 6.* catalogus conficien-
 dus a mercatoribus & nautis, in mercatura
 &



& arte exercitis. Ad ORDIN. CAMER. AS-
 SECVR. ET AVAR. AMSTELODAM. *art.* 32.
 & 33. add. etiam *art.* 4. & inprimis 5. *in ru-*
bric. tum de requisito navis & mercium ab
 assecuratis pro derelicto habendarum, daß
 sie Schiff und Wahren *abandonnir*et haben,
art. 25. collato, si placet, qui ejusdem esse
 sententiæ videtur, WEITSIO *de avar.* §. 23.
 De certo tempore, an Hamburgi quoque ad
 catalogi confectionem distributori, dem
Dispacheur, constitutum sit, propter varias
 commissas in eo conficiendo moras, merito
 dubitatum reperio. Et claudere mihi deni-
 que has annotatiunculas von der *Dispache*
 appositione notabilis cujusdam, quod se-
 quenti §. exhibebo, in Admiralitatis nostræ
 Iudicio conclusi, libet.

XVI.

EXTRACTVS

PROTOCOLLI
 ADMIRALITATIS.

de 10. Jan. MDCXCV.

Con-



Conclusum, daß Johann Philip Rade-
 machern *injungiret* werde, wann hinführo ihm
 die *Dispache* zu *verfertigen committiret*, von
 theils *Interessenten* aber *inhibiret* werden will,
 er diejenige, so solches thun, mit ihren einzu-
 wendenden *Rationibus* an das Admiraltät-
 Gerichte so gleich (id est, bey erstem *Admira-*
litäts-Tage) *verweisen* soll. (Und fals *Con-*
tradicientes sich sodann nicht *einfinden* sollten,
 er dennoch ihres *Widersprechens* *ungeachtet*,
 mit der *Dispache* zu *verfahren*, *schuldig* seyn
 solle.) Quæ ultima in parenthesi comprehen-
 sa *Concluso* quidem *expresse* non *annexa*, *in-*
tellexere tamen ita & *extenderunt* eadem
 DN. PETRVS de LÉNGERCKE, I. U. L.
 Reip. nostræ tunc Senator, Consul hodie,
 & h. t. Præses, præclarissime de illa *meritus*,
 & DN. IVLIVS HENRICVS SCHAFFSHAV-
 SEN, I. U. L. olim Secretarius, nunc Sena-
 tor, itidem erga eam *meritis insignis*, in
Sessione 28. *Maji* 1697.

XVII.

Contractus, Locationis puta *conducti-*
onis & *emtionis venditionis*, quos inter *Mer-*
catores & *Magistrum navis*, ejusve *exercito-*
res

res, controversiarum fontes esse, §. XIV. sub n.
 2. diximus, Mercatoribus seu Creditoribus,
 qui cum Magistro vel Pro-Magistro navis, de
 rebus, quibus ille præpositus, secundum præ-
 positionis Legem contraxerunt, eorumque hæ-
 redibus, adversus exercitores navis, die *Neder*
oder Schiffs-Freunde, eorumque hæredes, ad
 præstandum id, quod vi conventionis ejus de-
 betur, *exercitoriam actionem* pariunt, de qua
tit. DIG. de exercit. act. ibique DD. fuse. Quæ
 autem *vicissim* Magistro navis, ejusve exercito-
 ribus, contra Mercatores, ad solvendum nau-
 lum, tradendæ nve rem emtam, locati condu-
 cti, emti venditi actiones dantur, ab ordinariis
 cæterorum judiciorum actionibus vix diffe-
 runt. Illud mercaturæ tamen favori tribuitur,
 ut parata, nisi forte causa sit intricatior, execu-
 tione gaudeant, atque statim inde e. g. quod ad
 nauti solutionem attinet, pro magistro navis
 Admiralitatis judicium in conventionem pro-
 nunciat, & ad reconventionem mercator cum
 exceptionibus suis remittitur; tum & illud
 præterea annotandum, quod plerumque con-
 tra mercatores actionem magister navis, raro
 exercitores in Judicio instituant & prose-
 quantur.

E

XIIX.

XII X.

Ex contractu exercitorum cum magistro navis inito, si is dominus partiarius sit, *pro socio actio* nascitur, socio; tam exercitori, quam nauclero, qui læsus est, contra socium, ejusque hæredem competens, ad corrigendam læsionem ex neglectu officii, debitasve operas propter non præstitas, vel ex eo, quod conferri, quæ oportebat, non collata sint, subortam; si conductor duntaxat sit, *conducti* adversus eum *actio*, ad præstandas fideliter operas, & damni si quid culpa ejus contigerit, reparandum exercitoribus, vicissim adversus exercitores *locati actio* ad præstandam mercedem, itinere bene confecto, datur; si mandatarium denique, *actionem* contra eum *mandati directam* ad mandatum ex præscripto & bona fide exequendum exercitores, magister navis five nauclerus ad hoc, vt indemnem se ratione mandati præstent, *contrariam* adversus illos *mandati actionem*, habent.


XIX.

Ex fœnoris nautici contractu, qui vulgato vocabulo *Bodmeria* dicitur, creditoribus ad restituendam sortem cum usuris conventis *actio*,

ctio, quando navis oppignorata non est, *personalis civilis*, contra magistrum navis ex contractu ipsius, contra exercitores *personalis prætoria*, cum autem de hypotheca sibi navis, partisve ejus, iidem prospexere, (nam tacitam quidem ob scenus nauticum hypothecam jura non indulgent, vid. RADEMIN. *Dissert. Inaugural. de Bodmeria* §.23.) contra quoslibet possessores actio hypothecaria realis datur. Et adjicere hic etiam singulare illud a KVRICKIO *ad Jus marit. Hanseat. art. 6. pr. in f. p. 174.* ex rebus Gedani an. 1627. & 1628. judicatis observatum, licet, nec solutionis exceptionem (cui STATUTA ETIAM HAMBURGENSIA *Part. I. tit. 20. art. 2.* contra liquida & paratæ executionis instrumenta alias locum dant) cum conventus de nautico scenore & convictus in executione eam objecisset, ad probandum admittam prius, quam judiciali pecuniæ depositione rei judicatæ satisfactum. add. RADEMIN. de *Bodmer*. §.33. p. 48. Contra creditorem magistro navis aut exercitoribus actio in factum subsidiaria ad præstandum id, quod interest, competit si in usum navis atque itineris debite ac justo tempore pecunia non soluta fuit.

XX.

Reliquum erat, ut de cæteris actionibus quoque, tum de appellatione à Judicio nostro ad Senatum, aliisque adhuc pluribus circa istud observatu dignis amplius ageretur; & exactius etiam, pleniusque omnia tradi merito debuissent. Sed ut ea quidem, quæ ad damnavium collisione dati reparationem exigendam spectant, ex STRYKIANÆ, quam de hac materia laudavimus, DISSERTATIONIS *cap. 4.* ubertim peti possunt, ita in præsentem nudam tantum & qualemcunque Admiralitatis Judicii nostri sciagraphiam dare, & rudi calamo primas quasi lineas quasdam ducere, mihi animus fuit, plenam, exactamque illius descriptionem opportuniori tempore, ubi otium suppetet, & peritia mihi rerum amplior accesserit, reservanti, speique pleno, quicquid accurate minus nunc ego tradidi aut exposui, facile ab æquisimo quoque conatu horum nostrorum arbitro, & materiæ plane specialis, parumque obviæ, tum ipsius propositi etiam rationi, & angustię temporis, condonatum iri.



COROLLARIA.

I.

Civitatum, quæ commerciis maxime consistunt, indoli propria in quam multis congruere & expedire jura, civilis prudentiæ regulis consentaneum est, atque ipsos apud Romanos etiam Legis Rhodiæ in maritimis rebus auctoritas ostendit.

II.

Supplendum & *Hamburgense Jus Statutarium* ex communi Jure, ut subjuncto ei in fine §. da auch künfftiger Zeit / diserte cautum; sed deficere ego Jus Statutarium tum demum arbitror, cum non verba solum ejus deficiunt, sed & ratio evidens atque dextre interpretandi regulæ mentem ejus non pandunt. conf. verba *dict. art.* nicht specificirt / oder davon disponirt und Verordnung gethan.

III.

Ut commercia, publiceque & privatim in maritimis civitatibus res florescant, diversarum a cultu publico religionum homines, bonos cætera & utiles, non tolerari solum, sed admitti etiam antea non receptos, ampliusve eosdem allici, modo debita circumspectio & prudentia adhibeantur, nec insalubre, nec illicitum, præeunte olim in *Dissert. de Commerc. marit.* DNO. PRÆSIDE §. II6. & seqq. existimaverim.

F

IV.

IV.

In adscitis aliunde juribus, Romano & Pontificio, multa sunt, quæ ad genium, moresque Germaniæ, ad remota multum ab ævo Justiniani tempora, ad religionis repurgatæ indolem, resque publicas Protestantium non quadrent; sed nec jura Germaniæ vetustiora novioribus seculis, & nec privilegia olim salutaria murato nunc rerum statui peræque omnia aut ubivis congruunt.

V.

Etiam eos inter, qui castissimam disciplinam tractant Jurisprudentiæ, haud paucos præconcepit passim opinionibus niti, atque vanæ cuidam ambitioni, aliisve animi perturbationibus potius, quam sinceræ & incorruptæ veritati litare, verum & dolendum; sed cum bene multis aliarum artium & scientiarum cultoribus commune vitium est.

VI.

Præfidiis & adminiculis vera & perfecta Jurisprudentia multo indiget pluribus, & nobilior eadem, ampliorque multo ac diffusior est, quam, qui eam non intelligunt aut contemnunt, sibi persuadere possunt.

VII.

Privilegia in abusum, publicumque detrimentum vergere aut trahi nefas.

VIII.

Recusare collegia opificum privilegiorum suorum editionem, à superiori sibi injunctam, juris ratione suffragante nequeunt.

IX.

IX.

Non posse rei à se commodatæ, similive contractu alio ad aliquem translatae dominum rei vindicatione contra tertium, iusto titulo ac bona fide possidentem UNI, JURE HAMBURG. Part. 2. tit. 2. art. 7. juxta ac LUBECENSI Lib. 3. tit. 2. art. 1. & 2. (ubi relictio tamen domino reservata) clare constitutum, ratio Lubecensi jure adducta, *Hand muß Hand wahren / & ein jeglicher sehe wohl zu / weime er das Seine ausleihe und vertraue / stabilit, observantia comprobatur, justeque talia potuisse constitui, §. 18. Dissertat. de potest. Legisl. Civil. circa Jus natura an. 1692. habita, à DN. PRÆSIDE demonstratum. Quare ponas licet, quod Germanici Juris doctissimo indagatori SCHILTERO visum, ex Saxonici Juris fonte minus limpido ac perperam intellecto hæc fluxisse, & tam suda esse omnia, ceu opinatur, quæ de intellectu JVR. SAXON. Lib. 3. art. 22. magna diligentia tradidit & congestit, ut nihil obscuri penitus appareat, stabit nihilominus Juris nostri pariter ac Lubecensis auctoritas inconcussa.*

X.

Nec rem trans mare advectam, si per annum & diem quiete possessa probetur, à domino, qui intra territorium præsens fuit, vindicari posse, quamvis eam, ut furto sibi aut præda ablatam repetat, JVR. HAMBURG. Part. 2. tit. 19. artic. 3. non minus, quam Lubecensi Lib. 6. tit. 5. art. 5. dispositum, conf. MEV. ad Jus Lubec. Lib. 1. tit. 8. art. 2. in addit. ad num. 26. & defendi hujus generis statutorum, dextre tamen interpretandorum, justitia potest.

XI.

Constat sua *cap. 31. X. de sponsal. ratio*; sed nec HAMBURGENS. JURIS *part. 2. tit. II. art. 5. contrariæ dispositioni gravissima momentorum pondera deesse puto.*

XII.

Plane optimo fundamento JVS IDEM NOSTRVM *part. 2. tit. II. art. 6. à Canonici Juris seu Gratiani placitis in Caus. XXIX. quæst. I. §. 5. vers. ult. Similiter qui duxit in uxorem meretricem, recedens niti, in aprico mihi positum videtur, licet nemini caritatis ejuscemodi opera, de quibus cap. 20. X. de sponsal. inique invideam.*

XIII.

Quod ob divitiarum errorem sponsalia rescindi posse, *ejusd. tit. II. art. 7. vers. aber vor der Ehelichen Copulation, dispositum, in Recessu autem an. 1618. ad casum certæ dotis constitutæ restrictum reperitur. Minus consonum sponsalitiæ obligationi existimaveris; suis tamen itidem rationibus haud destituitur.*

XIV.

Uxores vocari dominas nec Rom. jure inusitatum. *vid. L. 41. pr. verb. Peto à te Domina uxor. DIG. de Leg. 3. L. 49. §. I. verb. Semproniæ dominae mee. DIG. de aur. arg. mund. conf. Novell. 8. cap. 1. verb. participem consilii sumentes eam, quæ à Deo data est nobis, reverendissimam conjugem.*

FINIS.



Kg 4999. 3^{to}

ULB Halle
004 526 201 3





f

5b

1017








27.

JO. WERLHOFII
JCTI
COMMENTATIO
DE
JUDICIO
ADMIRALITATIS
HAMBVRGENSIS.



EDITIO NOVISSIMA.
~~3555 3555 3555 3555 35(6)35 3555 3555 3555 3555~~
HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
MDCCL.

